



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xliv [i.e. ii]. Non repugnati Angeli specie distincti, imò tales dantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO QVARTA

De Deo & Angelis.

I. **A**ngelos dari, etsi de fide sit, ratione tamen naturali ad summum probabiliter solum suaderi potest ex mirabilibus energumensorum effectibus, quamvis & hi animabus separatis adscribi possent. Definatur Angelus, quod sit *substantia spiritualis* (id est, incorporea & immaterialis) *completa simplex* (unde tamē non dicitur actus purus; etsi enim integraliter & essentialiter sit incompositus, datur tamen in eo compositio ex subjecto & accidentibus, nimirum ubicatione, cognitione, gratia &c. imò ex natura & subsistentia) *intellectiva* (radix enim intellectivitatis juxta D. Thom. est spiritualitas) *ex natura sua incorruptibilis.*

II. Non repugnant Angeli specie inter se distincti; non enim videtur Deus minùs communicativus sui in ratione spiritus, quàm in ratione corporis, quorum plurima specie distinguuntur. Imò dari de defacto plures sic distinctos, suadetur ex potentia & eminentia inter demones diversitate, utpote quæ

u 3

nequē

nequē à majore gratia, quā spoliati sunt, nequē à malitia, quæ vires augere nequit, nequē oriri potest à libera electione; quomodò enim hi spiritus superbi se uni è suis liberè subdidissent? Falsum autem est, quod opponit Pallav. ens sortiri speciem à præcipuo prædicato, quod in omnibus Angelis idem est, nempe *intellectivum*; *sensitivum* namquē in brutis est prædicatum præcipuum, à quo tamen non specificatur equus. Si addas: prædicatum differentiale in brutis esse præcipuum, idem dic de Angelis, inter quos unus ab altero non differet per τὸ *intellectivum*, sed per exigentiam magis clararum & universalium specierum. Nequē repugnant Angeli solo numero inter se distincti; ens enim finitum non involvit prædicatum essentialē, vi cuius repugnet, illi coëxistere aliud simile: ab altera quoquē parte participabilitas Dei exhausta non est per unum tale individuum. Falsum itaque est illud Thomist. *materia sigillata* (id est determinata per quantitatem aliaquē accidentia, quali carent Angeli,) *sola est principium individuationis*, ut patet in duabus cognitionibus, duabus quantitibus &c. solo numero inter se distinctis absquē

absquē hac sigillatione. Quod autem aliqui de facto sic solūm inter se distinguantur, suadet ex eo, quōd aliās dicendæ sint innumera species integræ horum spirituum periisse in æternum; quod de divina bonitate præsumendum non est, quæ ne quidem permisit unam speciem hominis totam perire.

III. Intellectus Angelicus non est distinctus à substantia Angeli. Objecta præsentia naturalia cognoscunt Angeli intuitivè. Futura necessaria cognoscunt naturaliter certitudine tantūm physica & abstractivè in causis, cum quibus necessariam habent cōnexionem. Futura liberè per vires naturæ non cognoscunt certò (nequē enim ea in se cognoscunt, quia eorum utpote rerum nondum existentium species iis sunt indebitæ, nequē in eorum causis liberis, utpote ad ea indifferentibus) sed connaturaliter tantūm & probabiliter longâ docti experiētiâ. Secreta cordium, & ea, ex quibus in eorum notitiam facile devenire possent, non norunt, nisi ad elicientis vel habentis beneplacitum; exigat enim agens intellectuale dominium peculiare physicum & morale in suos actus liberos, ita ut eorum exercitium, & usus fructus nequē